Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26111
Copyright: Admont, Benediktinerstift

FERCULUM fecit sibi rex Salemon. **De dedicatione.**
de lignis Lybani. columpnas eius argenteas fecit. et reclinatorium aureum. et
ascensum purpureum. media caritate constravit propter filias Ierusalem. Rex Salemon quod
dicitur pacificus. est vere pacis amator. Christus in quo eternam pacem habebunt. quam nec hostes cor
poris vel anime ultra timebunt. Hic fecit sibi domum convivii. et hanc de lignis Lybani. Lybanus
mons de quo fluit iordanis. et in quo crescunt cedri nature imputribilis. Per lybanum mon
tem quod candidatio dicitur. altitudo ihesu Christi intelligitur. De quo exit iordanis. scilicet fons bap
tismatis. in quo electi ascendere vicio candidantur. et virtutibus ut cedri ad alta succrescentes.
ad inmarcessibilis glorie vocantur coronam. De quibus fecit rex iste domum refectionis. videlicet
ecclesiam de electis in domum eterne copulationis. In tali domo fecit columpnas argen
teas. Per columpnas rectitudo et firmitas consideratur. per argentum nitor et sonoritas de
claratur. Apostoli itaque doctores in hac domo argentee columpne extiterunt. qui nitore vite
et sonoritate doctrine ecclesiam perornaverunt. et recti in virtutibus et firmi contra vicia
et persecutores atque hereticos machinam domus dei sustentaverunt. Reclinatorium fecit au
reum. ascensum purpureum. Mundi contemptores reclinatorium aureum predicantur. qui
in camino tribulationis velut aurum examinantur. in quorum mentibus deus quasi in reclinatorio
dum bonis actibus delectatur. Martyres vero ascensus purpure extiterunt. dum sanguine suo
purpurati per crucem Christi ad celestia ascenderunt. Media caritate constravit. id est pavimenta media
tapetibus vel palliis erant strata. in quibus cuncta que ad caritatem pertinent miro fuerant
pictura. atque textura variata. per quod reliqua plebs accipitur. cui legem et prophetas in duobus
preceptis caritatis implere precipitur. Et hoc totum propter filias Ierusalem. id est ut hec inviterentur.
anime fidelium que sunt filie celestis Ierusalem. Per hanc Salemonis consistorium figuratur ecclesie refecto
rium. scilicet hec domus cuius annuum festum hodie celebratur. in qua vitulus saginatus ad convivium
fidelium cottidie deo patri immolatur. et preclarus calix sanguinis eius inebrians convivis
potatur. Hec festivitas recte dies nuptiarum vocatur. quia sponsa per convivium et frequentem
amicorum conventum sponso copulatur. ita hec domus frequenti populo ovante consecratur. in qua
multitudo fidelium per baptisma et corpus Christi ut sponsa Christo associatur. Omnes namque huic
ecclesie obedientes una ecclesia et sponsa Christi nuncupantur. et ideo hunc diem nuptialem
summo gaudio celebrare imperantur. Ideo recte constituite diem sollempnem in condensis
usque ad cornu altaris. ut ineamini in voce exultacionis et confessionis sono
epulantis. de hac vita transire in domum dei in locum tabernaculi admirabilis.

De hac domo dicitur nobis scriptura alio loco.

Sapientia edificavit sibi domum. excidit columpnas vii. posuit mensam